



Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem Sancti Thomæ Tomvs ...

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI.
vsque ad CXIV.

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1620

In primo instanti suæ creationis Angelos mereri potuisse. cap. 4.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81000)

est in operatione voluntatis, quæ originè temporis fuit omnium prima, sed etiam in quacunque prima, quæ circa aliquod genus negotij, aut obiecti in angelo, aut in homine incipit: hoc tamen non videtur ob stare, quo minus angelus peccare possit consensu voluntatis in tale obiectum cogitarum, quemadmodum in prima voluntate circa nouum obiectum, quod primo se offert, peccare potest: nam talis obiecti propositio, etiam si fiat à Deo proponente, aut determinante intellectum, nihilominus liberam relinquit voluntatem, vt consentire posse, & non consentire: ergo poterat angelus proposito obiecto, quodd ex præcepto prosequendum erat, illud non potuit prosequi, ac proinde peccare. Potuit etiam à Deo determinari intellectus, vt proponeret voluntati simul eadem cogitatione obiectum, in cuius prosecutione esset peccatum, & in fuga, & displicentia illius esset meritum apud Deum, & voluntas primo actu posset prosequi illud obiectum, & peccare prosequendo, id quod refutare debebat. In neutro vero casu Deo tribueretur peccatum, etiam si ipse determinaret intellectum ad primam illam cogitationem, ex qua futurus erat consensus peccati, quia talis propositio & cogitatio, ad quam Deus determinauit intellectum, reliquit voluntatem liberā, vt sequeretur quam partem veller: quemadmodum diximus disputat. 95. cap. 10. Deum interdum offerre nobis occasiones, ex quibus videt futurum esse peccatum & tamen Deo non imputatur peccatum, nec ob id nos à culpa excusamur: quia talis cogitatio relinquit voluntatem liberā, vt ad quod velit, extendat manum.

Deinde quod asserit Anselm. ad primam operationem non posse voluntatem mouere ipsam, difficultate non caret: nam, vt voluntas dicatur se mouere ad volendum, non videtur necessaria alia voluntas, virtute cuius impellat se ipsam, vt Henricus contra Anselm. obseruauit. Id quod exemplum, quod subiijcit ipse Anselm. non obscure conuincit: nam & visus dicitur seipsum mouere ad videndum non virtute prioris alicuius visionis, sed in singulis operationibus, per hoc solum, quod operatio videndi est ab ipso et vtu vt à principio. Quæ etiam ratione Scotus loco allegato docet, primam operationem non minus esse à voluntate seipsam mouente, quam reliquas: cum eodem modo à voluntate, vt ab efficienti, omnes procedant.

*Dicitur
Anselm.
difficile.*

Mitto alias rationes, quibus probari solet, angelum non potuisse in instanti primo peccare, qualis est illa, quia actio tam peccati, quam meriti debet in tempore incipere, & alie similes, quæ falsis principiis nituntur, eas habet Scotus loco allegato. Hanc vero de modo, quo incipere debet peccatum, & meritum optimè diluit Gregor. in ea quæstione citata: quia cum operatio voluntatis tota simul esse queat, nulli dubium est, in instanti nostri temporis incipere posse. Adde etiam quod licet in temporis incipere posset, nonnulli authores posterioris sententiæ dicerent, non posse talem operationem primam esse peccatū, quicumque nimirum defendunt, in prima operatione peccatum esse non posse.

ARTIC. V.

CAPVT IV.

In primo instanti sua creationis angelus mereri potuisse.

CVM Doctores, qui censent Angelos in primo instanti peccare non potuisse, in eam sententiam diuersis rationibus fuerint adducti, effectum est, vt de bono merito ipsorum, an saluetur in primo instanti vitam æternam mereri poterint, non eodem modo sint inopinati. Quidam eorum affirmant, in primo instanti non potuisse angelum mereri. Sic expressè docuerunt Hugo de S. Victor, Alexander, Holcot, & Capreolus locis in 2. cap. allegatis, atque ex eorum ratione hoc necessario deducitur. Primum quidem ex ratione Hagonis & Holcot, qui existimant, in primo instanti non fuisse angelum liberum pro eodem, sed pro futuro tantum tempore. Deinde ratione Alexandri idem probatur: quia ex sententia ipsius nulla res operari potest in eodem instanti, in quo primo concitatur: quia putat primam Angeli operationem necessario debere esse naturalem, in qua meritum esse non potest ex sententia ipsius. Idem cogitentur facere, Albertus, Bonauentura, & Henricus, qui censent in primo instanti non potuisse esse libertatem: quia consultatio, & deliberatio esse non potuit. Denique Ricardus in eadem sententia esse deberet, licet id ipsum non asserat: quia cum Capreolo probauit, angelum in primo instanti peccare non potuisse: eo quoque prima operatio debuit esse naturalis, nullius peccati & meriti capax.

Multo tamen verior est opposita sententia, quæ affirmat, Angelos in primo instanti vitam æternam mereri potuisse. An vero eam promeriti fuerint, pendet ex ea controuersia, vtrum in gratia creati fuerint, an in pura natura, de qua supra disput. 22. fusè tractauimus. Quod vero attinet ad potentiam merendi, hanc sententiam amplius sunt omnes, quos cap. 2. pro posteriori opinione allegauimus. Ex his vero, qui priorem sententiam fur, eam similiter tradiderunt. Ferrarius, contra sententiam cap. 110. §. *Hæc dicta sunt*, Caietan. & Durandus locis idem allegatis, etique expressè sententia S. Thomæ, vt rectè obseruauit Ferrariensis. nam, vt infra ostendemus, plane docuit angelos non tantum potuisse mereri, sed etiam meruisse vitam æternam. Hæc autem opinio inde probatur, quia si aliquid ob stare, quo minus angeli in primo instanti posset mereri: essent rationes Hagonis, Alexandri, Bonauenturæ, aut Ricardi, quibus probare nitebantur, angelos non potuisse in primo instanti peccare: si enim illis probaretur angelos non potuisse peccare, probaretur, etiam mereri non potuisse: quia vtriusque eadem omnino ratio elset, vt patet: atqui illis rationibus, nihil probari contra potentiam angelis ad peccandum, satis superque cap. præcedenti à nobis monstratum est: ergo eadem omnino ratione ostensum manet, illis non obstantibus angelos vitam æternam mereri potuisse. Alie autem rationes excogitari nequeunt, quæ aliquo modo probent, non potuisse angelos mereri: ergo non est contra potentiam ad merendum in eo instanti angelis denegemus.

Porro in hac sententia S. Thom. rectè probat Ferrariensis.

S. Thom. expresse hoc subi.
 Ferraciens. Quia in hoc articulo ad 3. ita scribit;
 Quidquid est in merito, est à Deo: & ideo in primo in-
 stanti suæ creationis Angelus mereri potuit, sed non est si-
 militudo ratio de peccato, & artic. seq. sic ait; Cum enim
 Angeli per unum actum meritorum ad beatitudinem per-
 ueniant, ut supra dictum est: si diabolus in primo instanti
 suæ creationis meruit, statim post primum instans beatus
 dinem accepisset, nisi statim impedimentum prestisset
 peccando. Dixerat autem in eo articulo & quæst. 62.
 art. 3. Angelum in gratia creatum habuisse motum
 liberi arbitrii. Verum ad hæc testimonia respon-
 det Capreolus, qui in illo articulo, in solutione t.
 contra quintam conclusionem; S. Thomam so-
 lum dixisse, demones in primo instanti dignos
 fuisse gloria per gratiam, in qua creati sunt, non
 per meritum aliquod. Hoc autem responsam fa-
 ctis frivolum est, cum S. Thomas plane concedat,
 in angelis fuisse motum liberi arbitrii in primo
 instanti, & ipsos etiam iustos per gratiam Dei ste-
 tisse; opus autem bonum factum in statu gratiæ,
 præsertim si sit dilectionis Dei, ut concedit S. Th.
 in angelis fuisse, meritum est vite æternæ. De a-
 lijs vero requisitis ad rationem meriti dicemus i.
 q. 114. art. 1. 2. 3. & 4.

ARTICULVS VI.

*Utrum aliqua mora fuerit inter creationem
 & lapsum.*

355. Quodlib. 9. m. 3. cor.
AD sextum sic proceditur. Videtur,
 quod aliqua mora fuerit inter crea-
 tionem & lapsum Angeli; dicitur enim
 Ezech. 28. Ambulasti perfectus in vijs tuis
 à die conceptionis tue, donec inuenta est
 iniquitas in te. Sed ambulatio, cum sit
 motus continuus, requirit aliquam mo-
 ram. Ergo aliqua mora fuit inter crea-
 tionem diaboli, & eius lapsum.

Simil. 2. in Ezechielem ad p. 1. m. 1. cor. 2.
 2. Præterea. Origenes dicit, quod ser-
 pens antiquus non statim supra peccatus, &
 ventrem suum ambulavit. Per quod in-
 telligitur eius peccatum. Ergo diabolus
 non statim post primum instans suæ crea-
 tionis peccauit.

3. Præterea. Possit peccare commune
 est homini & angelo. Fuit autem aliqua
 mora inter formationem hominis & eius
 peccatum. Ergo pari ratione fuit aliqua
 mora inter formationem diaboli, & eius
 peccatum.

4. Præterea. Aliud instans fuit, in quo
 diabolus peccauit ab instanti, in quo
 creatus fuit. Sed inter quolibet duo in-
 stantia cadit tempus medium. Ergo ali-
 qua mora fuit inter creationem eius &
 lapsum.

Ebr. 11. de Civit. Dei. cap. parum ante medium. m. 5.
 Sed contra est, quod dicitur Ioan. 8. de
 diabolo, quod in veritate non stetit. Et
 sicut Augustinus dicit 11. de Civit. Dei, opor-
 tet, ut hoc sic accipiamus, quod in verita-
 te fuerit, sed solum permanserit.

Respondere dicendum, quod circa hoc
 est duplex opinio. Sed probabilior & San-
 ctorum dictis magis consonans est, quod

Vasquez in 1. p. Tom. 2.

statim post primum instans suæ creatio-
 nis diabolus peccauerit. Et hoc necesse
 est dicere, si ponatur, quod in primo in-
 stanti suæ creationis in actum liberi arbi-
 trii proruperit, & cum gratia fuerit crea-
 tus, ut supra diximus. Cum enim angeli
 per unum actum meritorium ad beatitu-
 dinem perveniant, ut supra dictum est, si
 diabolus in primo instanti in gratia crea-
 tus meruit, statim posse primum instans
 beatitudinem accepisse, nisi statim im-
 pedimentum prestisset peccando. Si vero
 ponatur, quod angelus in gratia creatus
 non fuerit, vel quod in primo instanti a-
 ctum liberi arbitrii non potuerit habere;
 nihil prohibet aliquam moram fuisse in-
 ter creationem, & lapsum.

Ad primum ergo dicendum, quod per
 motus corporales, qui per tempus men-
 surantur, quandoque in sacra Scriptura
 intelliguntur metaphoricè motus spiri-
 tuales instantanei. Et sic per ambulationem
 intelligitur motus liberi arbitrii, ten-
 dentis in bonum.

Ad secundum dicendum, quod Ori-
 genes dicit, quod serpens antiquus non à
 principio, nec statim supra peccatus ambu-
 lavit propter primum instans, in quo ma-
 lus non fuit.

Ad tertium dicendum, quod angelus
 habet liberum arbitrium inflexibile post
 electionem. Et ideo nisi statim post pri-
 mum instans, in quo naturalem motum
 habuit ad bonum impedimentum beati-
 tudinis prestisset, fuisset firmatus in bo-
 no. Sed non est simile de homine. Et ideo
 ratio non sequitur.

Ad quartum dicendum, quod inter
 quolibet duo instantia esse tempus me-
 dium, habet veritatem in quantum tem-
 pus est continuum; ut probatur in 6. Phy-
 sic. Sed tamen in angelis, qui non sunt
 subiecti cœlesti motui, qui primo per
 tempus continuum mensurantur, tem-
 pus accipitur pro ipsa successione opera-
 tionum intellectus, vel etiam affectus. Sic
 igitur instans primum in angelis intelli-
 gitur respondere operationi mentis an-
 gelicæ, qua se in seipsam convertit per ves-
 pertinam cognitionem, quia in primo die
 commemoratur vespere, sed non mane.
 Et hæc quidem operatio in omnibus bo-
 na fuit. Sed ab hac operatione quidam
 per maruinam cognitionem ad laudem
 verbi sunt conuersi; Quidam vero in se-
 ipsis remanentes facti sunt nox, per super-
 biam intumescientes, ut Augustinus dicit 4.
 super Genes. ad lit. Et sic prima operatio
 fuit omnibus communis. Sed in secunda
 sunt distincti. Et ideo in primo instanti

Nnd omnes

omnes fuerunt boni, sed in secundo fuerunt boni à malis distincti.

Conclusio est. Statim post primum instans sua creationis Angelus peccauit. Intelligi autem debet non de instanti durationis nostri temporis; sed de instanti temporis disces; ac si diceretur, post primam operationem statim peccauit. Cuius conclusionis veritas satis à nobis explicata est supra disputat. 126. c. 10. & 11.

ARTICVLVS VII.

Vtrum Angelus supremus inter peccantes fuerit supremus inter omnes.

AD septimum sic proceditur. Videtur, quod ille Angelus, qui fuit supremus inter omnes. Dicitur enim Ezech. 28. Tu Cherub. extensus & protegens, posui te in monte sancto Dei. Sed ordo Cherubin est sub ordine Seraphin, ut Dionys. dicit 7. c. Angelicæ Hierarch. ergo angelus qui fuit supremus inter peccantes non fuit supremus inter omnes.

2. Præterea. Deus fecit naturam intellectualem propter beatitudinem consequendam. Si igitur angelus, qui fuit supremus inter omnes peccauit, sequitur, quod ordinatio diuina fuerit frustrata in nobilissima creatura. Quod est inconueniens.

3. Præterea. Quanto aliquis magis inclinatur in aliquid, tanto minus potest ab illo deficere. Sed angelus quanto est superior, tanto magis inclinatur in Deum. Ergo minus potest à Deo peccando deficere. Et sic videtur, quod angelus qui peccauit, non fuerit supremus inter omnes, sed de inferioribus.

Sed contra est, quod dicit Gregor. in homil. de Centum ouibus, quod primus angelus qui peccauit, dum cunctis agminibus angelorum prælatus eorum, claritatem transcederet, eorum comparatione clarius fuit.

Respondeo dicendum, quod in peccato est duo considerare, scilicet pronitatem ad peccandum, & motiuium ad peccandum. Si ergo consideremus in angelis pronitatem ad peccandum, minus videtur, quod peccauerint superiores angeli, quam inferiores. Et propter hoc Damasc. dicit, quod amor eorum, qui peccauerunt, fuit terrestri ordini prælatus; Et videtur hæc opinio consonare positioni Platonicorum, quam August. recitat in lib. de Ciuitate Dei, cap. 8. & 10. Dicunt enim, quod omnes diuerant boni. Sed dæmonum quidam boni, quidam mali. Deos nominantes substantias intellectuales, quæ sunt à globo lunari superius; dæmones vero substantias intellectuales,

ARTIC. VII.

quæ sunt à globo lunari inferius, superiores hominibus ordine naturæ. Nec est abijcienda hæc opinio tanquam à fide aliena; quia tota creatura corporalis administratur à Deo per angelos, ut August. dicit 3. de Trinitate. Vnde nihil prohibet dicere inferiores angelos diuinitus distributos esse ad administrandum inferiora corpora, superiores vero ad administrandum corpora superiora, supremos vero ad assistendum Deo. Et secundum hoc Damasc. dicit, quod illi qui ceciderunt, fuerunt de inferioribus. In quorum etiam ordine aliqui boni angeli permanserunt. Si vero consideretur motiuium ad peccandum, maius inuenitur in superioribus, quam in inferioribus. Fuit enim dæmonum peccatum superbia, ut supra dictum est; Cuius motiuium est excellentia, quæ fuit maior in superioribus. Et ideo Gregor. dicit, quod ille qui peccauit, fuit superior inter omnes. Et hoc videtur probabilius. Quia peccatum angeli non processit ex aliqua pronitate, sed ex solo libero arbitrio. Vnde magis videtur consideranda esse ratio, quæ sumitur à motiuium ad peccandum. Non est tamen inde alij opinioni præiudicandum, quod etiam in principe inferiorum angelorum potuit esse aliquid motiuium ad peccandum.

Ad primum ergo dicendum, quod Cherub. interpretatur plenitudo scientiæ. Seraphin interpretatur ardentes, seu intendentes. Et sic patet quod Cherubim denominatur à scientia, quæ potest esse cum mortali peccato. Seraphin vero denominatur ab ardore charitatis quæ cum peccato mortali esse non potest. Et ideo primus angelus peccans non est denominatus Seraphin, sed Cherubin.

Ad secundum dicendum, quod diuina intentio non frustratur, nec in his qui peccant, nec in his qui saluantur. Vtrorumque enim euentum Deus præcognoscit, & ex utroque habet gloriam dum hos ex sua bonitate saluat, illos ex sua iustitia punit. Ipsa vero creatura intellectualis dum peccat, à fine debito deficit. Nec hoc est inconueniens in creaturaque creatura sublimi. Sic enim creatura intellectualis instituta est à Deo, ut in eius arbitrio positum sit agere propter finem.

Ad tertium dicendum, quod quantacumque inclinatio ad bonum fuerit in supremo angelo, tamen ei necessitatem non inducebat. Vnde potuit per liberum arbitrium eam non sequi.

Conclusio est. Probabilis est fuisse supremum omnium Angelorum, qui suis supremis inter eos, qui peccauerunt.

DISPUT. CCXXXVII.

An Lucifer primus inter Angelos desertores, fuerit ex supremo ordine?

*Dua oppositae sententiae, cap. 1.
Iudicium de utraque opinione, c. 2.*

CAPVT I.

Dua oppositae sententiae.

Conclusio articuli 7. licet ab Scholasticis omnibus Doctores probetur: inter Patres tamen antiquos circa controuersiam non est. Nam Damas. 2. lib. de fide, cap. 4. Existimat, Angelos, qui ceciderunt, non fuisse de supremo, sed de infimo ordine. Ait enim: *Ex his Angelis copijs, is, qui terrestri ordinis principatum tenebat cuique custodienda terra cura a Deo commissum fuerat, non natura malus conditus, sed bonitate praeditus, bonique causa procreatus, atque eiusmodi, ut ne minimum quidem vitij vestigium a creatore ipsi impressum fuisset, splendorem eum & honorem, quem creatoris beneficio consequutus erat, non ferens, libera voluntate, ex eo, quod secundum naturam erat, in id, quod contra naturam erat, immutatus est.* Huius opinionis mentionem facit August. 3. lib. de Genesi ad litteram, cap. 10. Et nullam ei notam inuenit. De eadem etiam meminit 1. libro de Genesi ad litteram, cap. 19. Et statim subiungit, se non videre, ex quo loco Scripturae ea sententia probari possit. Tandem eodem lib. 11. cap. 26. ait, eam non posse defendi.

Per plures tamen Patres affirmant, Angelum supremum inter eos, qui ceciderunt, fuisse quoque supremum inter reliquos. Ita docet Tertull. lib. 2. contra Marcionem, cap. 10. longe à principio, ubi verba illa Ezech. 28. *Tu signaculum similitudinis Dei, &c.* Quibus existimat lapsum demonis describi, exponit de eminentissimo angelorum, de Archangelo, de sapientissimo omnium: nomine Archangeli non intelligens secundum ordinem infimae Hierarchiae, sed principem angelorum: alioquin non diceret, ipsum eminentissimum & sapientissimum. Idem sentit Chrysost. in 1. tomo in homilia de Adam & Eua, non parum à principio: dicit enim; *Vnus Angelus primus, qui Sathael dictus est, malignam praesumptionem assumens, &c.* Et homilia de casu primi hominis, inquit Sathael in Angelis principatum obtinuisse. In eadem sententia fuerunt Hierony. in illud Iob 40. *Ipsa est initium viarum Domini, quia Ezech. 28. scribitur: In capite lapidum ignitorum ambulasti.* Gregorius 4. lib. Moralium cap. 13. alias 12. & lib. 9. cap. 2. ubi appellat demonem spiritum; *Author lib. 1. de mirabilibus sacrae Scripturae cap. 2. apud August. Isidor lib. 1. de summo bono cap. 2. num. 5. & Bernard. serm. 1. de Adventu, ubi demonem appellat primum angelorum.* Referunt etiam nonnulli pro hac opinione Origen. tractatu 9. in Mattheum, in illa verba, *Erunt nouissimi primi, &c.* ubi Angelum, qui cecidit, appellat primum, relatum solum ad hominem: ipsum vero hominem vocat nouissimum, & de illis intelligit praedicta verba, *Erunt nouissimi primi.*

CAPVT II.

Iudicium de utraque opinione.

Mhi sane horum Patrum, & Scholasticorum sententia ob ipsorum auctoritatem probabilis videtur. Ceterum ex Scriptura nihil certum colligi potest, ut inductione patebit.

Primus locus, ex quo aliqui praedictam opinionem deducunt, est Ezech. 28. ubi Hierony. loco allegato ita legit, *In capite lapidum ignitorum ambulasti.* Existimat autem, lapides ignitos appellari angelos, inter quos Lucifer tanquam primus in capite positus fuit. Verum hanc lectionem non fuit sequutus ipse Hierony. in eo loco Ezech. in sua translatione, nec 70. ait verterunt: sed secundum utramque lectionem; *In medio lapidum ignitorum ambulasti, &c.* Praeterea quantum probet locus ille de casu diaboli, satis superque à nobis dictum est disput. 13. c. 4. ubi ostendimus iuxta sensum litteralem, verba illa accipienda esse de principe Tyri, & spiritali tantum sensu posse ad demonem accommodari. De principe autem illo dicitur, in medio lapidum ignitorum ambulasse, ut ostendatur pretiosus ornatus vestium eius, quem prius habuit in gloria regni sui: nam lapidibus pretiosis ornatus incedebat, quos ignitos propter colorem ignis appellat. Ad angelum vero accommodari debet: quia antequam ex felicissimo statu caderet, ornatus erat virtutibus & donis gratiae. Quod si per lapides ignitos velis intelligere alios angelos: ex eo loco probari non potest, Luciferum fuisse primum angelorum, si lectionem vulgatam & 70. interpretum sequamur: sed solum sequitur Luciferum in medio angelorum, qui dicuntur lapides igniti, fuisse.

Quod vero subditur in eod. cap. de eodem Lucifer, *Tu Cherub extensus, &c.* Quibus verbis compellat ipsum Luciferum: non probat praedictam sententiam. Tum quia in sensu litterali dicitur de rege Tyri, quod esset quasi Cherub, qui alias potentiae suae regnum suum protegeret, ut diximus capite illo allegato. Quare cum ad Luciferum praedicta verba applicarentur: tantum deberent deservire statum illius felicem & potentem, ex quo cecidit. Tum etiam quia, si iuxta litteram de Lucifero intelligerentur, solum inde colligi posset, ipsum fuisse Cherubinum; at Cherubini non sunt de supremo ordine, ut constat ex S. Thom. in hoc art. qui ad 1. conatur respondere huic testimonio, quod eo videretur probari, Luciferum non fuisse supremum Seraphinum, sed ex ordine Cherubinorum: responderet autem, ideo appellari Cherubinum, & non Seraphinum, cum tamen esse Seraphinus: quia *Seraphin*, idem significat quod, *ardens*, & ardor charitatis non manet in demone: Cherubin, autem significat idem quod, *sciens*, & scientia mansit in demone: quae solutio licet sufficeret, ut hoc testimonium non probaret: demonem fuisse supremum: tamen non sufficeret, nec inde colligeremus, reuera supremum fuisse. Secundum testimonium ad probandam communem sententiam esse solet illud Ezech. 31. *Cedri non fuerunt altiores illo in Paradiso Dei: abietes non aequauerunt summam illius.* Hic tamen locus de Rege Aegypti intelligitur, quo ostendatur potentia & maiestas regni eius, cuius Propheta minabatur ruinam, ut ex ipso textu manifeste patet.

Non 2

Tertium

Vasques in 1. part. tom. II.